

VI.

Callicocca Ipecacuanha
descripta

Felice Avellar Brotero,

Botanices in Universitate Coimbrica Professore etc.

CALLICOCCA caule adscendente, suffruticoso, farmentoso; foliis ovato-lanceolatis, inferne subpubescentibus; capitulo terminali, pedunculato; involucro tetraphyllum, foliolis subcordatis; corollis quinquefidis.

Tapogomeae specierum congener. D. De la Marck *Illustr. gen. Dict. bot.*

Ipecacuanha fusca. *Pis. Bras.* p. 101. *It. Margr. Br.* p. 17.

Brasiliensibus aliis *Ipecacuanha*; aliis *Poaia de Matto*, in australioribus Brasiliae locis; *Cipó* aliis, uti etiam Portugallensibus.

Pharm. Ipecacuanhae fuscae f. brunae Radix; aut Radix Brasiliensis f. antidyfenterica.

Radix perennis, simplex aut subramosa, subteres, saepius perpendicularis, raro leviter obliqua; duas, tres, quatuorve uncias et ultra longa; superne gracilior, crassitudine et similitudine caulis, saepius hic illicve brevibus radiculis instructa, quarum una alterave interdum crassescit; inferne duas tresve lineas crassa, vase flexa, extus fusca, subannulata, annulis prominentibus, inaequalibus, subrugosis: Sapore acri, amaro, odore vix ullo, nisi herbaceo. Dum sicca, cortex crassa, dura, fragilis, extus bruna, intus albicans, gummoso-resinosa, filo percurfa lignoso, aequali, alba, fere insipido, mucilagineo, a quo facile in plures annulos fissa contiguos et inaequales, fissuris laevibus, separatur: Sapore primum farinaceo, postea subamaro, subaci, et semper minus acri quam in statu viridi, seu vivo: odore vix ullo, sed cum mortario contunditur, tenuis ejus pulvis subnauseoso nares afficit et usque ad sternutamentum stimulat.

Caulis suffruticosus, ex procumbenti erectus, ad basin, qua procumbit, interdum repens, teres, crassitudine pennae gallinaceae, quinque ad novem uncias altus, inferne glaber, efoliatus, fuscus, nodosus (ubi a foliorum casu cicatrices), internodiis sursum versus apicem indies decrescentibus, ibique villosus, viridis, foliatus, in primis plantae annis simplicissimus aut simplex, postea farmentosus, farmentis perpaucis efoliatus, subtortuosus, procumbentibus, plus minusve dorantalibus, nodosis, ad nodos vase radicantibus, ibique unum alterumve novum caulem, a primo aut alio semipedem et ultra dissitum, producentibus.

M m m

Folia

Folia inferiora caduca, ita ut in plantae florescentia 4, 6, aut 8 solum, rarissime plura, ad apicem caulis persistant: opposita, patentia, ovato-lanceolata, nonnulla interdum fere obovata, tres ad quatuor uncias longa, unam ad duas fere lata, integerrima: superne saturate viridia, punctis scabriusculis aspersa, glabra, raro vase subpubescentia: subtus ex viridi-albida, subpubescentia, costa parum elevata, venis lateralibus alternis, subparallelis, ad apicem curvatis: petiolus folii lamina brevior, 2, 3-ve lineas longus, canaliculatus, subvillosum.

Stipulae geminae, laterifoliae, appressae, sessiles, sublineares, partito-fimbriatae, lacinulis subulatis, petiolis leviter adnatae, illorum longitudine aut vix longiores, cum ipsis caulem subvaginantes, marcescentes.

Flores aggregati in capitulum solitarium, subnutans, caulem terminans, pedunculatum: pedunculo tereti, pubescenti, petiolis longiore, plus minusve semiunciam alto: flosculi sessiles, 15 ad 24, bracteolis distincti: bracteolae involuci et flosculorum longitudine, pubescentes, integerrimae, sessiles, virides, forma saepe variantes, nunc subovatae oblongiusculae, nunc lanceolatae obtusiusculae, nunc (quod rarius) forma et magnitudine involuci foliolis similes, et tunc flosculis ipsis numerosiores.

Involucrum tetraphyllum: foliolis subcordatis, acutis, integerrimis, subsessilibus, leviter undatis, hirsutis: duobus externis majoribus, omnibus flosculis paulo longioribus.

Cal. Perianthium membranaceum, albidum, brevissimum, quinquedentatum, dentibus obtusis, superum, persistens.

Cor. monopetala: tubus cylindraceus, longus, supra parum ampliatus, fauce et extus lanuginosus: limbus tubo brevior, quinquefidus, laciniis ovatis, acutis, recurvis.

Stam. Filamenta quinque, capillaria, brevia, superne tubo inserta. Antherae oblongae, lineares, erectae, exsertae.

Pist: ovatum, inferum, non angulatum. Stylus filiformis, longitudine tubi corollae: margine nectarifero brevi ad basin cinctus. Stigmata duo, oblonga, crassiuscula, obtusa, antherarum longitudine.

Peric. Bacca unilocularis, disperma, ex ovali-subrotunda, nec sulcata, nec angulosa, sed laevis, calyce coronata, ex rubro-purpurascens, mollis, demum corrugata, nigricans. Quae immaturae decidunt, siccanturque, sunt ovales, utrinque (qua semina interne plana facie contigua fiunt) unisulcatae.

Semina duo, elliptica, laevia, leviter torta, arillo nullo: hinc plana, linea parum elevata media longitudinali notata, inde convexa, ad apicem unisulcata. Testa lignea, sordide albida: integumentum internum membranaceum, tenuissimum, testae arte adnatum: albumen testae cavitati respondens, convexo-planum, cartilagineum, durum, ex fusco-fulvum, hinc ad faciem planam sulco longitudinali exaratum, inde laeve: embryo dicotyledoneus, albumine brevior, erectus, dorsalis.

Habitat in solo umbroso humosoque sylvarum, in Pernambuquia, Bahia, Rioja-Maria, Paulensis, Mariannia, aliisque Brasiliæ provinciis.

Floret Nov. Déc. Jan.; nec non Februario aut Martio; baccae Maio maturescunt.

Radicis vires medicæ sat cognitæ.

Haec omnia non tantum ex meis observationibus in plantis siccis mihi missis, quam ex aliis in plantis vivis in Brasilia iterum atque iterum a D. Bernard. Brz. Gomes, Botanicae medicæ diligentissimo, mecum benigne communicatis, teneo.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Archiv für die Botanik](#)

Jahr/Year: 1805

Band/Volume: [3](#)

Autor(en)/Author(s): Brotero Felice Avellar

Artikel/Article: [Callicocca Ipecacuanha 455-456](#)